

**Zeitschrift:** Candollea : journal international de botanique systématique = international journal of systematic botany  
**Herausgeber:** Conservatoire et Jardin botaniques de la Ville de Genève  
**Band:** 26 (1971)  
**Heft:** 2

**Artikel:** Rerum veritas sanctissime servanda!  
**Autor:** Laínz, Manuel  
**DOI:** <https://doi.org/10.5169/seals-880308>

### **Nutzungsbedingungen**

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften auf E-Periodica. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen sowie auf Social Media-Kanälen oder Webseiten ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. [Mehr erfahren](#)

### **Conditions d'utilisation**

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. La reproduction d'images dans des publications imprimées ou en ligne ainsi que sur des canaux de médias sociaux ou des sites web n'est autorisée qu'avec l'accord préalable des détenteurs des droits. [En savoir plus](#)

### **Terms of use**

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. Publishing images in print and online publications, as well as on social media channels or websites, is only permitted with the prior consent of the rights holders. [Find out more](#)

**Download PDF:** 15.04.2026

**ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>**

## Rerum veritas sanctissime servanda!

MANUEL LAÍNIZ, S. J.

### RÉSUMÉ

L'auteur se réfère à un article récent de J. Viano et rectifie plusieurs points concernant la typification et l'histoire des noms *Linaria incarnata* (Vent.) Sprengel et *L. elegans* Cav.

### SUMMARY

The author refers to a recent paper by J. Viano and rectifies several points concerning the history and typification of the names *Linaria incarnata* (Vent.) Sprengel and *L. elegans* Cav.

### ZUSAMMENFASSUNG

Verfasser bezieht sich auf eine neuere Arbeit von J. Viano und stellt mehrere die Geschichte und Typifizierung der Namen *Linaria incarnata* (Vent.) Sprengel und *L. elegans* Cav. Punkte richtig.

Serius, adversantibus fatis, opusculum dominae Josette Viano (“1969”)<sup>1</sup> legimus, de quo nonnulla notanda sunt. Ac primum, illud prorsus falsum est, quod prolixitate quadam indicat (l.c.: 222), me affirmasse (1966) – ubinam gentium sumus? – monographum Sprengel unam eandemque rem *Linariam incarnatam* (Vent.) Spreng. et *L. bipartitam* (Vent.) Willd. habere.

Maius autem momentum habere videretur quod ipsi equiti de Lamarck – cuius nomen apparet in fronte quarti voluminis botanici famosae Encyclopediae – binomen *Antirrhinum incarnatum*, mutato sane anno vero pagellae, 1797, tribuat

---

<sup>1</sup>Ni fallor, post meam contributionem postremam vel paucum ante tempus editum.

(“En 1783, Lamarck, à l'article muflier (t. IV: 364), décrit la plante précédemment appelée *Antirrhinum incarnatum* in Sched. par Ventenat...”; l.c.: 220). Hoc quidem subsequenti eius elucubrationi in typo seligendo fundamentum praebet. Nos autem (1966), in ipso titulo articuli, scripseramus “*Antirrhinum incarnatum* Ventenat in Lamarck (1797)”, cum in fine tractationis de *Antirrhino* (muflier), post aliquas pagellas, clare appareat eam esse conscriptam “Par le citoyen Vintenat”... Quod si cui satis ponderis habere forte non videretur, expressis profecto verbis significare deberet.

Nunc vero, quidquid de hac postrema quaestione dicatur, nullo modo erat lectotypus designandum specimen a Danty d'Isnard veniens, cum protologus specimina potius indicet ab A. de Jussieu collecta sollerteque siccata! Quod polynomium illud tournefortianum plus minus exacte repetatur in schedulis, res videtur ab argumentatione aliena, in omni hypothesi. Mirandum sane, insuper, quod opus quasimonographicum dominae istius non iudicium certum emittat, loco ullo, de speciminibus illis non isnardianis sub numero 6145 in herbario jussiaeano positus, cum optima sint seminibusque non careant. Quod, procul dubio, aliquo modo pendet ab errore in sua revisione a Chavannes admissio. Nos autem (1970, mense martio), causis quibusdam adductis, pressius typum elegeramus specimina circa Pombal, aprili 1717, collecta. Quod domina Viano, sine dubio, tempestive non didicit.

Patet quidem me, secutum recentiores non paucos, in rei vindicatione mea binominis *L. incarnata* — ineluctabiliter accipiendi et sane accepti a Viano quoad floram europaeam, etsi nonnumquam postpositi, etiam nuperrime — supposuisse hoc unam eandemque rem esse, taxonomicè ut dicunt, ac *L. bipartita*. Minime vero dicere potui “que les trois parts contenues dans l'herbier A. L. de Jussieu (sous le n° 6145) correspondent à *Linaria bipartita* (Vent.) Willd.”, ut mihi inconsulte imputatur (l.c.: 221). Neque nunc scio quomodo res in Africa se habeant: sapientiores viderint. Sed laboribus meis hispanicis incumbens, etiam quae sequuntur respuere teneor: “Laínz a rejeté en 1966 le type *Antirrhinum bipartitum* figuré par Ventenat, car, dit-il, ce type est incomplet...” (l.c.: 222). Nihil aliud reiciendum statui quam specimen “*Antirrhini incarnati*” a Ventenat possesso neque quidquam aliud ex eius herbario vidi! Leviores quidem, sed non laude dignae, sunt expressiones ut “la synonymie *L. bipartita* (Vent.) Willd. = *L. incarnata* (Vent.) Spreng. établie par Laínz...” (l.c.: 222), etc. Nec laudabiliores aliae ad me non spectantes, ut propositio illa “holotypificans” in pagella 225. Mirandum etiam quod, cum hortum regium matritensem Viano inviserit, nullum specimen hispanum *L. incarnatae* indicare valeat. Complura, certe, sub nominibus et synonymis diversis, in diversis herbariis indicavi aut ipse ante non paucos annos locavi (v.c., in genevensi).

Quoad *Linariam elegantem* Cav. — quae quidem *incarnatae* nequaquam arcte affinis consideranda est — minime licet clari Pourret post epithetum mentionem facere — ut Viano decrevit: “*Linaria elegans* (Pourr.) Cav.” — cum nusquam *Antirrhinum elegans* re vera publici iuris factum fuerit. Per transennam dicendum, etsi ab ulteriore sermone abstineamus, non valde aptum videri modum quo historia nomenclaturalis huius hispanicae speciei exponitur (l.c.: 222). Nova eius varietas, var. *gracilescens* Viano, l.c.: 232, taxonomicè parum fulcita, irritè publicata est (ob typum certum non designatum). Synonymis addendum *L. Rodriguezii* Caballero, Anales Jard. Bot. Madrid 3: 338-339, lam. IX (1943), ut etiam eius specimina originaria (MA 109498) indubitanter ostendunt.

INDEX BIBLIOGRAPHICUS

- Laínz, M. (1966) Typification de l'Antirrhinum incarnatum Ventenat in Lamarck (1797). *Candollea* 21: 55-57.
- (1970) Aportaciones al conocimiento de la flora cántabro-astur, IX. *Bol. Inst. Estud. Asturianos* ser. C, 15: 3-45.
- Viano, J. (1969) Note sur le genre *Linaria* en Méditerranée occidentale. Le groupe *Linaria bipartita* (Vent.) Willd. *Naturalia Monspel., Sér. Bot.* 20: 219-240, tab. I-IV.

